



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Exempla insignium peccatorum & peccatricum, in quibus Deus verè & ex
animo pœnitentibus Bonitatem & Misericordiam suam ostendit. Vsus
Exemplorum pœnitentium peccatorum. xlvij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

acceptum spiritualis patrimonium dignitatis terrenis prodegit voluptatibus. Quod pater in filium quem habebat thesaurum contulit, fidei census nunquam exinanitur, licet totum dederit, totum habet, qui quod donauerit non amittit. Nec verearis ne te non recipiat non enim deletatur in perditione vinorum: iam occurrens uementi tibi cadit supra collum. Dominus enim erigit elisos. Osculum dabit: quod est pignus charitatis & amoris. Stolum, annulum, calciamenta proferri iubebit. Tu adhuc iniuriam metuis: ille restituit dignitatem. Tu supplicium vereris: ille osculum defert. Tu conuictum times: adornat ille conuiuium.

2ap 11.
Psal. 146.

EXEMPLA INSIGNIVM PECCATORVM ET peccatricum, in quibus Deus, verè & ex animo pœnitentibus bonitatem & misericordiam ostendit.

CAPVT Vfus Exemplorum, pœnitentium peccatorum & XLVII. peccatricum.

Proprium Deo est, misereri Creatura quam condidit: qui facile remittit & ignoscit peccata, verè & ex animo pœnitentibus: ardentissimique affectus est ad iuuandum eos, qui serio conuertuntur: longanimis & tardus ad iram: patienter agens propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Id multa insignium Peccatorum & Peccatricum testantur exempla veteris ac noui Testamenti. Est autem magna consolatio afflictis conscientis, scire Deum esse clementem, benignum, bonum: & habere in conspectu eos qui Deo clementiam, benignitatem, & bonitatem experti sunt. Horum iam aliquot enumerabimus: ut quos imitari simus peccando, itidem sequamur pœnitendo. Et primus quidem peccatorum omnium, primo ponemus loco. Hic est Adam,

2. Pet. 3.

est Adam, per cuius delictum mors pertransit in omnes homines: in quo omnes peccaverunt. Reliqui deinde, insigniores tamen, & in 8. Scriptura notati, ordine sequuntur: ut sicut in eis abundasse delictum cognovimus: ita & superabundasse Dei gratiam per Iesum Christum intelligamus.

Rom. 5.

ADAM PRIMVS PECCATOR.

Tanto decoratus ADAM regno, cum omnibus terrestribus nullo ex merito, sed sola divina benignitatis gratia prealatus esset, improbum demonem, & perfisurum sue salutis inimicum, Domino & Tutore, cui merito adherere debebat, digniorem duxit: eiq; magis quam Creatori suo auscultavit. Postquam ergo deceptus esset, videamus quomodo ipsum tale operans crimen Deus tractavit. Nunquid ipsum omnino perdidit? Et quidem iustitie ratio exigebat tantam benivolentiam consecutum, mox a primordiis laesivientem de medio tolli, & funditus deleri: sed non hoc fecit Deus, nec abominatus est, nec eum averfatus qui se tam ingratum in benefactorem exhibuit: sed ad ipsum venit, sicut ad aegrotum medicus. Et noli simpliciter dictum percurrere charissime: sed cogita quale est, nec angelum nec archangelum, nec ullum alium illius servorum misisse: sed ipsum met Dominum ad collapsum descendisse, & iacentem erexisse. Quod enim ex magna fecit hoc charitate, ipsa verba que ad ipsum dixit, demonstrant. Principio enim ipsum vocare, magna & ineffabilis est misericordia: tum ob benignam interrogationem, qua erubescens, & neque os aperire, neque linguam movere audentem nominabat. Non enim dixit, sicut par erat iniuriam passum dicere, O scelerate & scelestissime: sed prorsus e contraria. A prima enim voce ipsum statim erexit, & iacen-

CAPVT

XLVIII.

Ex Chryf.
Homil. 17. in
Genes. &
Homil. 7. ad
pop. Antio-
chenum.